

ad affectum pertinet. Ergo in ratione peccatum non est.

2. Præterea. In III. de Anima (1. part. text. clvii.) dicit Philosophus, quod intellectus semper est rectus. Sed ubi est rectitudo perpetua, ibi non potest esse peccati curvitas. Ergo in ratione, quæ ad intellectum pertinet, peccatum esse non potest.

3. Præterea. Dionysius dicit iv. cap. de div. Nom. peccatum esse contra rationem. Si ergo in ratione esset peccatum, in ratione aliquid contrarium rationi existeret; quod est impossibile. Ergo & primum: scilicet in ratione peccatum esse.

4. Præterea. Superior ratio habet hunc actum ut contemplandis æternis inhæreat, sicut supra dictum est. Sed ex hoc quod aliquis æternis inhæret, non peccat. Ergo in ratione, ad minus superiori, non potest esse peccatum.

5. Præterea. In partibus animæ invenitur aliqua perpetuæ corruptionis, scilicet sensualitas: invenitur etiam aliqua in qua potest esse & peccati curvitas, & virtutis rectitudo. Ergo ad perfectionem potentiarum animæ oportet esse aliqua quæ sit perpetuæ rectitudinis. Sed hoc nulli congruentius adscribitur quam superiori rationi. Ergo in ea non potest esse peccatum.

Sed contra. Eligere ad rationem pertinet. Sed contingit esse electionem rectam, & non rectam. Ergo videtur quod in ratione possit esse peccatum.

Præterea. Sicut se habet ratio speculativa ad scibilia, ita se habet ratio practica ad operabilia. Sed in scibilibus contingit esse peccatum in ratione speculativa, ex eo quod quis non recte ratiocinatur. Ergo videtur quod etiam in operabilibus contingat esse in ratione peccatum, ex eo quod non recte eligitur.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod rationis peccatum potest dici dupliciter. Uno modo ex eo quod est ipsius rationis secundum se; & sic dicimus esse in ratione peccatum, quando iudicando errat, sive sit in speculativis, sive in operativis; & hoc est peccatum in cognitione, ex eo quod male syllogizatur. Alio modo dicitur esse peccatum in ratione ex parte voluntatis, quæ per iudicium rationis regulatur, ut tunc in ratione peccatum esse dicatur, quando sequitur perversa electio. Sciendum est igitur, quod quidam Philosophi posuerunt, quod secundo modo non contingit esse in ratione peccatum, nisi etiam primo modo ratio erret; dicentes, omne peccatum ignorantiam esse, & scientem peccare non posse: quorum primus fuit Socrates, ut in VII. Ethic. c. 11. dicitur, hac ratione inductus, quod non videtur conveniens ut nobilissimum, quod est scientia, ab ignobilibus passionibus vincatur: unde si scientia, ab ignobilibus passionibus vincatur: quod quia ad sensum falsum apparet, ideo Philosophus in eodem Libro ostendit, quomodo contingat scientem peccare, distinguens scientiam in universali, & particulari; & similiter scientiam in habitu, & actu; & in habitu dupliciter: quia habitus aliquando ligatus est, ne in actionem exeat, ut in ebriis patet; quandoque autem non est ligatus: Dicit ergo, quod contingit peccantem esse scientem in universali, & in actu; in particulari autem non contingit esse scientem in actu, sed in habitu tantum ligato passione vel iræ, vel concupiscentiæ, ne ratio in rectam electionem prorumpat, sed motum passionis sequatur; & si etiam ore quis passioni subditus, ea quæ secundum rectam rationem sunt, proferat in particulari, non tamen mente

id tenet, sicut ebrius sapientum verba potest ore proferre, quæ intellectu non capit: & ideo cum ratio in operandis quodammodo syllogizet, invenitur iudicium rationis rectum in majori propositione, quæ universalis est; in minori autem propositione, quæ particularis est, admiscetur passio, quæ circa particulare viget: unde sequitur corruptio rationis in conclusione electionis. Verbi gratia, si dicatur. Nulla fornicatio est committenda, in hoc iudicium rationis perfectum est. Item proponatur alia, Omnis fornicatio est delectabilis. Sub quibus duabus assumatur una particularis, hæc scilicet, Accedere ad hanc mulierem est fornicatio. Si ratio sit fortis, ut nec etiam in particulari passione vincatur, inducet conclusionem negativam, eligens fornicationem non committere. Si autem passione vincatur, eliciet conclusionem affirmativam, eligens in fornicatione delectari: & sic sumitur hic esse peccatum in ratione, quando scilicet post rationis deliberationem, eo quod ratio in particulari corrumpitur per passionem, sequitur prava electio. Et si quidem deliberatio fiat per rationes divinas, dicitur esse peccatum in superiori ratione; ut si procedat ex hoc quod omne prohibitum lege Dei est vitandum. Si vero per rationes creatas, dicitur esse peccatum in inferiori ratione; ut si procedat ex hoc quod omne in quod transcenditur medium virtutis, est vitandum, vel aliquid huiusmodi.

Ad primum ergo dicendum, quod ratio quamvis sit cognitiva potentia, tamen est directiva voluntatis: unde non potest esse peccatum in voluntate, nisi sit aliquo modo in ratione, præcipue cum voluntas non sit nisi boni, vel apparentis boni: unde malam voluntatem aliquo modo præcedit falsa æstimatio: sed peccatum contingit esse in ratione dupliciter, ut dictum est.

Ad secundum dicendum, quod intellectus non est idem quod ratio. Ratio enim importat quemdam discursum unius in aliud; intellectus autem importat subitam apprehensionem alicujus rei: & ideo intellectus proprie est principiorum, quæ statim cognitioni se offerunt, ex quibus ratio conclusiones elicit, quæ per inquisitionem innotescunt: unde sicut in speculativis in intellectu principiorum non potest esse error, sed in deductione conclusionum ex principiis; ita etiam in operativis intellectus semper est rectus, sed ratio recta, & non recta.

Ad tertium dicendum, quod corrupta ratio non est ratio, sicut falsus syllogismus proprie non est syllogismus: & ideo regula humanorum actuum non est ratio quælibet, sed ratio recta: & ideo Philosophus in III. Ethic. cap. vi. & IX. cap. iv. dicit, quod homo virtuosus est mensura aliorum. Unde ex hoc non sequitur quod in ratione non sit peccatum, sed quod non sit in ratione recta.

Ad quartum dicendum, quod, sicut supra dictum est, ratio superior non tantum inhæret æternis conspiciendis per contemplationem, sed etiam consulendis ad directionem operis. Contingit autem quod deductio rationis quæ est ex rationibus æternis, corrumpatur per passionem, sicut etiam illa quæ est ex civilibus rationibus. Unde in utraque peccatum esse potest.

Ad quintum dicendum, quod in anima est aliquid quod est perpetuæ rectitudinis, scilicet synderesis: quæ quidem non est ratio superior, sed se habet ad rationem superiorem sicut intellectus principiorum ad ratiocinationem de conclusionibus.

AR-

ARTICULUS IV.

Utrum in delectatione rationis inferioris possit esse peccatum mortale.

1. 2. quæst. LXXIV. art. 6.

1. Ad quartum sic proceditur. Videtur quod in delectatione inferioris rationis non sit peccatum mortale: Non enim est peccare mortaliter nisi ejus cujus est advertere rationem divini præcepti, cum peccatum mortale determinetur ex eo quod est contra legem divinam. Sed advertere præceptum divinum, non est inferioris, sed superioris rationis, quæ æternas rationes consulit. Ergo peccatum mortale non potest esse in ratione inferiori, sed tantum in superiori.

2. Præterea. Ut communiter dicitur, nulla circumstantia peccatum aggravat in infinitum: quia quantitas quæ ex accidente relinquatur, non potest esse major quam essentialis quantitas peccati. Sed delectatio rationis inferioris, si non diu teneatur, est peccatum veniale, ut in littera dicitur. Ergo etiam per hoc quod diu tenetur, non efficitur mortale peccatum.

3. Si dicatur, quod non dicitur diuturna, vel morosa à mora temporis, sed ex consensu adveniente; contra. Consensus in veniale non est nisi venialis. Sed delectatio per se sumpta est veniale, ut dictum est. Ergo consensus in eam non erit mortalis.

4. Præterea. Non est mortale quod non est prohibitum lege divina. Sed consentire in huiusmodi delectationem, dummodo in opus non consentiatur, non est prohibitum lege divina. Ergo non est peccatum mortale.

5. Præterea. Majus est peccatum homicidii quam fornicationis. Sed si aliquis cogitet de occisionibus multorum, & in cogitatione delectetur, & in delectationem consentiat, non videtur peccare mortaliter. Ergo videtur quod nec etiam si consentiat in delectationem carnis, dummodo in actum non consentiat.

Sed contra est quod in littera dicitur in pluribus locis.

Præterea. Sicut vir poterat peccare mortaliter, ita & mulier in conjugio primorum parentum. Sed inferior ratio mulieris figuram exprimit. Ergo in ea mortale peccatum esse potest. Sed non secundum subitam delectationem. Ergo secundum delectationem morosam.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod, sicut supra dictum est, delectatio rationis inferioris nihil aliud est quam complacentia voluntatis in eo quod apprehenditur conveniens per inferiorem rationem. Hæc autem delectatio, ut in littera dicitur, si statim ut mentem attrigerit, auctoritate viri expellatur; veniale peccatum est: hoc enim contingit quando talis complacentia sequitur subitam rationis apprehensionem. Si vero diu teneatur, peccatum mortale est. Hæc autem diuturnitas non est ex quantitate temporis iudicanda, sed magis ex deliberatione rationis. Si enim post deliberationem rationis inferioris adhuc delectatio illa placeat, morosa delectatio dicitur; & tunc erit in delectationem consensus; & tunc mortale peccatum est, ut Magister dicit, & verba Augustini sonare videntur: quamvis quidam in hoc Magistro contradi-

cant, auctoritates Augustini exponentes. Sed opinio Magistri valde probabilior est, & securior: quod sic patet. Quædam enim operationes sunt quæ ex suo genere peccata mortalia sunt, ut fornicatio, furtum, & huiusmodi: quod autem aliquod horum peccatorum mortale non sit, non potest esse nisi per accidens, in quantum scilicet ejus subjectum peccati mortalis capax non est, ut quando est in sensualitate tantum. Philosophus autem vult in X. Ethic. (cap. iv.) quod idem iudicium est de operatione, & delectatione. Unde si operatio est per se bona, & delectatio est per se bona, & e contrario. Quod ergo delectatio consequens per operationem quæ est per se peccatum mortale, non sit mortalis, hoc non est nisi per accidens, scilicet ex defectu subjecti: unde quandoque mala delectatio, vel operatio reducitur ad hoc in quo potest esse perfecta ratio peccati, vel virtutis, de necessitate incipit esse peccatum mortale. Perfecta autem ratio virtutis, vel peccati mortalis non potest esse sine electione rationis consiliantis, & deliberantis: & ideo quidquid fornicationis ante hoc invenitur per accidens, peccatum mortale non est; ubi autem ad hoc pervenitur, statim peccatum mortale esse incipit: unde etiam si usus exteriorum membrorum, & delectatio eorum esset sine voluntate tali, peccatum non esset; sicut beata Lucia dixit: *Si irrogam me violari feceris, castitas mihi duplicabitur ad coronam.* Sed consensus adveniens actui exteriori facit peccatum mortale. Similiter appetitus sensualitatis, & delectatio consequens appetitum, ante consensus rationis deliberatæ, peccatum mortale non est, sed post consensus rationis deliberantis peccatum mortale incurritur.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut ratio inferior regit vires sensibiles, ita ratio superior regit inferiorem: unde sicut in viribus sensibilibus est virtus, & vitium, ex hoc quod participant regimen rationis; ita etiam in inferiori ratione potest esse peccatum mortale, ex hoc quod regitur à ratione superiori, cujus est advertere divina præcepta.

Ad secundum dicendum; quod, sicut dictum est, non dicitur diuturna delectatio propter moram temporis, sed ex consensu rationis deliberatæ.

Ad tertium dicendum, quod consensus in veniale quod est veniale ex genere, ut verbum otiosum, non est mortalis; sed consensus in illud veniale quod est veniale per accidens, bene potest esse mortalis: quia per talem consensus remouetur illud accidens quod rationem peccati mortalis auferebat, scilicet delectationem rationis non attingere.

Ad quartum dicendum, quod etiam interior delectatio divino præcepto prohibetur, ut per hoc quod dicitur Exod. xx. 17. *Non concupisces rem proximi tui.* Si tamen nullum tale præceptum esset, adhuc ratio non sequitur: quia ex hoc ipso quod aliqua operatio prohibetur, designatur esse per se mala, in quocumque sit tam ipsa, quam delectatio ejus, nisi per accidens prohibeatur.

Ad quintum dicendum, quod secundum diversitatem operationum est diversitas delectationum: unde alterius naturæ est delectatio quæ sequitur operationem appetitivæ virtutis, & delectatio quæ sequitur operationem cogitativæ. Sicut enim cogitatio de homicidio, vel luxuria, sine appetitu aliquo, non reducitur, nisi inordinata sit, ad genus luxuriæ, vel homicidii; sed ad aliud genus, quod est curiositas, vel vanitas; ita etiam delectatio consequens talem cogitationem non pertinet ad genus homicidii, vel fornicationis: unde consensus in talem delectationem

nem non est peccatum mortale, sed veniale: quia enim vanitas cogitationis non est mortalis ex genere, etiam delectatio consequens appetitum homicidii, vel fornicationis, reducit ad idem peccati genus, sicut & appetitus ipse. Unde sicut in fornicatione, si aliquis consentiat in delectationem quæ appetitum concupiscibilis respectu fornicationis sequitur, erit peccatum mortale; ita etiam, & multo amplius, si consentiat in delectationem quæ appetitum irascibilis respectu homicidii sequitur, erit peccatum mortale.

ARTICULUS V.

Utrum in ratione superiori possit esse peccatum veniale.

1. 2. quæst. lxxiv. art. 7.

1. **A**d quintum sic proceditur. Videtur quod in superiori parte rationis non possit esse peccatum veniale. Peccatum enim superioris rationis non est nisi per hoc quod deflectitur à rationibus æternis. Sed ab eis deflecti non contingit nisi per peccatum mortale. Ergo in ratione superiori non erit peccatum nisi mortale.

2. Præterea. Contemptus peccatum mortale facit. Sed non potest esse quod aliquis post deliberationem in actum peccati consentiat sine contemptu. Ergo cum superior ratio sine deliberatione non peccet, videtur quod in ipsa nunquam sit nisi mortale peccatum.

3. Præterea. Consensus in actum peccati mortalis, semper est mortale peccatum. Sed motus superioris partis rationis dicitur esse consensus in actum. Ergo ad minus in genere mortalis peccati superior ratio nunquam venialiter peccat.

4. Præterea. In partibus animæ invenitur aliquid in quo non potest esse nisi veniale peccatum, scilicet sensualitas: invenitur etiam aliquid in quo potest esse & veniale, & mortale, scilicet inferior ratio. Ergo ad completionem partium animæ oportet esse aliud in quo non possit esse nisi peccatum mortale. Hoc autem non est synderesis, quia in ipsa non est peccatum. Ergo relinquitur quod ipsa sit superior ratio.

5. Præterea. Peccatum veniale ex corruptione carnis oritur: quia, sicut supra probatum est, Adam in primo statu venialiter peccare non poterat. Sed superior ratio est in summo remotiois à carne. Ergo in ipsa peccatum veniale esse non potest.

Sed contra. Consensus in actum venialis peccati non est gravior quam ipse actus. Sed quidam actus sunt venialia peccata, ut loqui otiosa, & huiusmodi. Ergo consensus in huiusmodi est etiam veniale. Sed consensus in actum pertinet ad superiore rationem. Ergo in ipsa potest esse peccatum veniale.

Præterea. Sicut aliorum peccatorum contingit esse aliquos motus subitaneos ex surreptione, ita etiam & infidelitatis. Sed non est dicendum, tales motus esse peccata mortalia. Cum ergo non sint motus nisi superioris partis rationis, cuius est divina conspecte, videtur quod in ipsa veniale peccatum esse possit.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod aliquem motum esse veniale peccatum, contingit ex duobus: aut ex ipso genere actus, quod veniale est, sicut verba otiosa;

(1) Nicolai: in veniale, etiam ex genere, mortalis esset.

aut ex parte eius cuius est motus, in quantum videlicet motus ille electionem præcedit, in qua principalitas virtutis, & vitii consistit. Sciendum est igitur, quod unaquæque potentia quam aliquo modo possibile est elevari ad illud quod est supra se, potest habere aliquem subitum motum in id quod sibi secundum se convenit, & alium motum habere potest in id quod sibi convenit ratione eius quod est elevata in aliquid superius; sicut in appetitu sensibili patet: nam ipse subitum motum habet in id quod est conveniens secundum sensum; in quantum autem est regulatus ratione, & perfectus habitu virtutis, habet motum post deliberationem in id quod est secundum rationem conveniens. Sicut autem appetitus sensibilis elevatur per regimen rationis in id quod est supra se; ita etiam ratio superior elevatur per lumen fidei in id quod est supra naturalem suam cognitionem: & ideo subitus motus apprehensionis superioris rationis est secundum naturalem suam cognitionem: qui si in aliquo fidei obviet, erit motus infidelitatis ex surreptione; & ita propter defectum deliberationis erit veniale peccatum. Secundum hoc ergo distinguendum est: quia aut motus superioris rationis est in id quod est veniale ex genere, & sic etiam motus eius venialis erit; aut est in id quod est mortale ex genere: & hoc contingit dupliciter: quia vel illud est proprium objectum eius; & sic habet circa illud duos motus: unum subitum, qui præcedit deliberationem, & hoc erit veniale peccatum; alium deliberatum, & hoc erit mortale; ut in motibus infidelitatis patet: aut est objectum inferioris potentie; sicut sensualitatis, ut patet in delectabilibus secundum carnem; & sic superior ratio non habet motum in illud, nisi consultationem, quasi ministrans medium, quo de illa re syllogizari potest; & ita circa illud non habet motum nisi deliberatum: & ideo in talibus motus superioris rationis semper est mortale peccatum; aliis autem duobus modis in ea contingit veniale peccatum esse.

Ad primum ergo dicendum, quod peccatum superioris rationis est per hoc quod deflectitur aliquo modo à rationibus æternis; sed hoc contingit dupliciter: vel simpliciter, sicut in mortali peccato, per quod deflectitur quis à lege Dei actu, & habitu, non tantum faciens præter eam, sed contra eam; vel secundum quid, sicut in veniali peccato, quo quis relinquit legem Dei actu, sed non habitu, non contra eam, sed præter eam faciens.

Ad secundum dicendum, quod deliberatus consensus in veniale non semper procedit ex tali contemptu, ut mortale peccatum faciat. Quando enim hoc modo in veniale consentitur ut si esset contra legem Dei, nullo modo fieret; manet intra limites venialis peccati, etiam si advertatur esse veniale peccatum. Si autem hoc modo in ipsum consentiatur ut etiam si prohibitum esset præcepto, nihilominus fieret; talis consensus (1) in veniale, ex genere etiam mortalis esset.

Ad tertium dicendum, quod in illud mortale quod pertinet ad objectum inferioris potentie, non habet superior ratio alium motum nisi consensus deliberatum, eo quod ad ipsam non pertinet secundum se considerare convenientia corpori, sed solum consilium de his: & ideo in talibus non peccat nisi venialiter. Secus autem est in illis mortalibus quæ circa proprium objectum committuntur, ut supra dictum est.

Ad

Ad quartum dicendum, quod hoc quod sensualitas non peccat nisi venialiter, est ex imperfectione eius; sed peccatum veniale non tantum causatur ex imperfectione agentis, sed etiam ex ipso genere actus: & ideo non oportet, (1) quantumcumque potentia sit perfecta, quod motus eius non possit esse venialis: sequeretur autem, si tantum ex imperfectione agentis veniale causaretur: sic enim per oppositum imperfecto perfectissimum responderet.

Ad quintum dicendum, quod veniale peccatum non est ex corruptione carnis sicut ex causa proxima, sed sicut ex causa prima: quia per hoc quod caro corrupta traducitur, omnes animæ potentie quodammodo corrumpuntur; & ita corruptio redundat in ipsam rationem superiorem, quamvis à carne sit remotissima.

ARTICULUS VI.

Utrum peccatum veniale possit fieri mortale.

1. 2. quæst. lxxxviii. art. 4.

1. **A**d sextum sic proceditur. Videtur quod veniale possit fieri mortale. Ita enim dicit Augustinus super I. Can. Joan. cap. i. tract. 111. de venialibus loquens: *Ista levitia noli negligere. Si contemnis quando ponderas, expavesce quando numeras: levitia multa faciunt unum grande, multe guttæ implent fluvium, multa grana faciunt massam.* Sed grande non dicitur nisi peccatum mortale. Ergo ex multis venialibus fit unum mortale.

2. Item. Augustinus in Lib. de decem chordis, cap. xi. *Nolite contemnere venialia, quia minima sunt; sed timete, quia plura sunt: plerumque enim bestie minuta multa necant. Si proficiatur quisque in locum pulcibus plenum, numquid non moritur ibi? Et minutissima sunt grana arenæ; sed si arena amplius in navim mittatur, mergit illam, ut pereat. Quam minuta sunt guttæ pluvie, nonne pluvia implent flumina, & domos dejiciunt? Timenda est ergo ruina multitudinis, etsi non magnitudinis.*

3. Præterea. Omne finitum omni finito proportionabile est. Sed complacentia qua aliquis in peccato mortali ad bonum commutabile convertitur, finita est. Ergo proportionalis est complacentia qua aliquis in peccato veniali convertitur ad commutabile bonum. Ergo multiplicatum veniale, unum mortale facit.

4. Præterea. Delectatio ante deliberationem rationis est veniale peccatum. Sed post consensus deliberatum efficitur mortalis. Ergo veniale peccatum potest fieri mortale.

5. Præterea. Ut in V. Physic. text. xxxix. dicitur, motus est unus, qui est continuus. Sed contingit aliquem motum inordinatum continuum, in prima parte sui non in contemptum Dei fieri, & sic est venialis; & postmodum in contemptum Dei, & sic erit mortalis. Ergo illud quod prius fuit veniale, potest fieri mortale.

6. Præterea. Dispositio fit habitus, ut in prædicamentis, cap. de qual. Philosophus dicit. Sed veniale est dispositio ad mortale. Ergo veniale potest fieri mortale.

(1) Al. quod potentia quantumcumque sit perfecta. (2) Supple peccatum. (3) Al. prohibitum, illud &c. Ex Edit. P. Nicol. (a) Velut ex Lib. I. de interp. cap. vi. prius indicabatur ad marginem. Quis tyro divinaret? De interpellatione Job dici debuit, ex qua eod. Lib. & cap. id colligitur, minus tamen expresse quam hic, ut & ex Lib. de paradiso cap. xiv. ubi *venibilem culpam* vocat.

7. Præterea. Eadem est distantia mortalis ad veniale, & venialis ad mortale. Sed mortale per confessionem fit veniale, ut Ambrosius dicit, (a) de interp. Lib. I. cap. vi. Ergo & veniale potest fieri aliquo modo mortale.

8. Ad hoc etiam est quod in littera dicitur, quod quedam non damnant nisi sæpius fiant, vel facienda decernantur, ut de otioso verbo, & huiusmodi. Sed damnatio non est nisi per peccatum mortale. Ergo si verbum otiosum sæpius iteretur, erit peccatum mortale.

Sed contra. Eorum quæ in infinitum distant, unum non potest in aliud transmutari. Sed mortale & veniale in infinitum distant; quod eorum poena ostendit, quia veniali debetur poena temporalis, & mortali æterna. Ergo veniale non potest fieri mortale.

Præterea. Iteratio actus non diversificat speciem. Sed veniale & mortale diversa genera peccatorum sunt. Ergo per hoc quod veniale multiplicatur, non fiet mortale.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod cum quaeritur, an veniale possit fieri mortale, tripliciter potest intelligi. Aut ita quod unus & idem numero actus quandoque sit veniale, & postmodum fiat mortale; (2) & hoc esse non potest, quia unus actus non est nisi semel: ex quo enim semel transit, iterum resumere non potest idem numero; & ideo si semel fuit veniale, nunquam erit mortale. Vel ita quod aliquis actus qui ex genere suo venialis est, aliquo modo mortalis fiat; & hoc possibile est, si tantum placeat, ut finis in eo constituatur: cum enim impossibile sit esse duos fines ultimos, quodcumque ponitur aliud quod bonum commutabile finis ultimus vitæ, oportet quod Deus non pro fine habeatur; & cum finis semper maxime sit dilectus, oportet quod illud in quo finis constituitur, supra Deum diligatur, quod constat peccatum mortale esse. Huiusmodi autem complacentia expressissimum signum est, quando aliquis alicui rei etiam non prohibita tantum adheret ut consentiat, si etiam esset (3) prohibita, illam se non relicturum; ut præcipue patet in quibusdam ebriosis, qui totam vitam suam in vino posuerunt, & histrionibus, qui verba otiosa sectantur. Alio modo potest intelligi ut multa venialia pertingant ad quantitatem peccati mortalis; & hoc quidem per se loquendo est impossibile: quia reatus, & macula mortalis peccati in infinitum distat ab ea quæ est venialis, cum peccatum mortale privet infinitum bonum, quod est bonum increatum; per veniale autem peccatum tollatur aliquod causatum, ut fervor charitatis. Distantia autem privationum mensuratur ex his quæ privantur. Uni etiam eorum debetur poena æterna, & alteri temporalis. Sed per accidens possibile est: cum enim veniale sit dispositio ad mortale, ex hoc quod aliquis frequenter venialiter peccat, fit in eo etiam pronitas ad peccandum mortaliter: quanto enim magis consuescit in aliquo opere, tanto magis sibi placet illud: quia signum habitus est delectatio operis, ut in II. Ethic. cap. iii. dicitur. Hoc tamen non de necessitate contingit: quantumcumque enim excrescat pronitas ad peccandum per iterationem venialium, semper tamen manet liber.

berras in voluntate, ne in peccatum mortale delabatur.

Et sic patet responsio ad duas primas auctoritates. Non enim intelligitur quod multa venialia faciant unum mortale per se, sed per accidens, ut dictum est.

Ad tertium dicendum, quod non oportet omnium finitorum accipere proportionem aliquam; sicut lineæ, & numeri nulla est proportio: quia, ut in V. Euclidis dicitur, proportio est certitudo mensurationis duarum quantitarum ejusdem generis: & ita quamvis complacentia mortalis sit finita, non tamen oportet ut sit proportionata complacentia venialis, quia est alterius rationis: alia enim ratione placet finis, & alia ea quæ sunt ad finem; semper enim plus placet finis: unde quantumcumque multiplicetur complacentia venialis, non adæquabit complacentiam mortalis. Vel dicendum, quod complacentia mortalis peccati potest considerari dupliciter. Vel ex parte ejus cui placet, & sic finita est: quia ex potentia finita non potest procedere actus infinitus. Vel ex parte ejus quod placet, & sic infinita est: quia placet ut finis, qui desideratur ut infinitum bonum; quia propter finem ultimum omnia desiderantur.

Ad quartum dicendum, quod motus delectationis qui est in sensualitate, nullo modo fit mortalis; sed consensus rationis adveniens, qui est aliud, cum diversarum potentiarum non sit unus actus numero: unde non sequitur quod actus qui prius fuit venialis, postea sit mortalis.

Ad quintum dicendum, quod ille actus continuus quamvis sit unus secundum esse naturæ consideratus, tamen non est unus consideratus in esse morali, immo pro duobus actibus computatur.

Ad sextum dicendum, quod dispositio proprie dicitur illud quod se habet ut incompletum in motu ad perfectum; quod est terminus motus; sicut qui addiscit, habet dispositionem scientiæ, qua perficitur in termino motus disciplinæ. Contingit autem terminum motus esse duplicem: quia vel ejusdem generis, vel alterius. Verbi gratia, alterationis terminus est qualitas sicut ejusdem generis; sed forma substantialis sicut alterius generis. Si ergo dispositio comparatur ad id quod est terminus motus ejusdem generis, sic constat quod dispositio potest fieri illud ad quod disponit, sicut calor imperfectus fit calor perfectus; si autem accipiatur terminus motus alterius generis, hoc nunquam contingit, si-

cut calor imperfectus, quantumcumque excrescat, nunquam fit forma substantialis ignis. Dico ergo, quod veniale non est dispositio ad mortale sicut ad terminum ejusdem generis, sed alterius: & ideo veniale nunquam fit mortale.

Ad septimum dicendum, quod est equivocatio in veniali: cum enim dicitur, quod culpa mortalis per confessionem fit venialis, non intelligitur de veniali ex genere, secundum quod hic de veniali loquimur; sed intelligitur de veniali ex eventu: quod quidem dicitur veniale per quamdam similitudinem ad veniale, quia scilicet manet reatus ad poenam temporalem pro culpa mortali, quam confessio delevit, non ita quod culpa in culpam mutetur.

Ad octavum dicendum, quod hoc quod dicit Magister, intelligendum est non per se, sed per occasionem, in quantum scilicet venialia frequenter occasionaliter in mortale inducunt, in quantum faciunt pronitatem ad illud.

EXPOSITIO SECUNDÆ PARTIS TEXTUS.

Et ideo de talibus cogitationibus venia petenda est.

Videtur hoc esse contra illud quod prius determinatum est. Quia percussio pectoris, & Pater noster valent ad dimissionem peccati venialis, & est satisfactio propria venialium. Ergo videtur quod mortosa delectatio, de qua hic loquitur, sit veniale peccatum. Et dicendum, quod quamvis hujusmodi sit sufficiens satisfactio pro veniali peccato, & non pro mortali; tamen etiam ad dimissionem peccati mortalis valent: unde etiam pro mortalibus Pater noster dicere debemus, & pectus tundere.

Non enim ratio nostra deduci ad consensum peccati potest, nisi cum delectatio mota fuerit. Videtur hoc esse falsum: quia quædam peccata spiritalia sunt, in quibus non est aliqua carnis delectatio. Sed dicendum, quod hoc intelligitur in genere peccatorum carnalium, quorum appetitus ad sensualitatem pertinet.

Non est autem silentio præterendum, quod sæpe in Scriptura nomine sensualitatis... etiam inferior portio rationis... intelligitur. Hic per scripturas, non canonem Bibliæ, sed dicta Sanctorum significat. Ratio autem dicti est propter convenientiam sensualitatis; & inferioris rationis: quia utraque attendit ea quæ ad corpus pertinent, licet ratio inferior sub rationibus universalibus, & sensualitas sub rationibus particularibus, & materiæ concretis.

DISTINCTIO XXV.

Redit ad liberi arbitrii considerationem.

JAM vero ad propositum redeamus, scilicet ad liberi arbitrii tractatum: quod Philosophi diffinientes, diximus esse liberum arbitrium, libera est ad utrumlibet: quia libere potest moveri ad hoc, vel ad illud. Liberum ergo dicitur arbitrium quantum ad voluntatem: quia voluntarie moveri, & spontaneo appetitu ferri ad ea potest quæ bona, vel mala judicat, vel judicare (1) velit.

Quod liberum arbitrium non pertinet nisi ad futurum, nec ad omne futurum.

HOC autem sciendum est, quod liberum arbitrium ad præsens, vel ad præteritum non refertur, sed ad futura contingentia. Quod enim in præsentibus est, determinatum est, nec in potestate nostrâ est ut tunc (1) Al. valet.

sit, vel non sit, quando est. Potest enim non esse, vel aliud esse postea; sed non potest non esse dum est, vel aliud esse dum est (2) id quod est. Sed in futuro an hoc sit, vel illud, ad potestatem liberi arbitrii spectat. Nec tamen omnia futura sub potestate liberi arbitrii veniunt, sed ea tantum quæ per liberum arbitrium possunt fieri, vel non fieri. Si quis enim tale quid velit, ac disponat facere quod in ejus nullatenus sit potestate, vel quod sine ipsius dispositione æque fieret; ipse in hoc liberum arbitrium non habet.

Quod supraposita descriptio liberi arbitrii non convenit Deo, nec his qui glorificati sunt.

ET quidem secundum prædictam assignationem, in his tantum videtur esse liberum arbitrium qui voluntatem mutare, & in contraria possunt deflectere: in quorum scilicet potestate est eligere bonum, vel malum, & utrumlibet secundum electionem facere, vel dimittere, secundum quod nec in Deo, nec in his (3) omnibus qui tanta beatitudinis gratia sunt roborati ut jam peccare nequeant, liberum arbitrium esse nequit. Sed quod Deus liberum arbitrium habeat, Augustinus docet in Lib. XXII. de Civitate Dei, cap. ult. ita inquit. „Certe Deus ipse namquid, quoniam peccare non potest, ideo liberum arbitrium habere negandus est? „ Ambrosius quoque in Libro II. de Fide, cap. 111. ait: „ Paulus dicit, I. Corinth. „ xii. quia omnia operatur unus atque idem Spiritus; dividens singulis prout vult, idest pro liberæ voluntatis arbitrio, non pro necessitatis obsequio. „

Qualiter in Deo accipitur liberum arbitrium.

SED aliter accipitur liberum arbitrium in Creatore quam in creaturis. Dei etenim liberum arbitrium dicitur ejus sapientissima, & omnipotens voluntas, quæ non necessitate, sed libera voluntate omnia facit prout vult. Ideoque Hieronymus attendens, non ita esse liberum arbitrium in Deo, sicut est in creaturis, ab ipso videtur excludere liberum arbitrium, in homilia quadam de prodigo filio, (a) dicens: „ Solum Deus est in quem peccatum non cadit, nec cadere potest: cetera, cum sint liberi arbitrii, in utramque partem flecti possunt. „ Dum ait, cetera, indicat liberum arbitrium sicut est in cæteris non ita esse in Deo.

Quod Angeli, & sancti, qui jam beati sunt, libero arbitrio non carent.

Angeli vero, & Sancti, qui jam cum Domino feliciter vivunt, atque in gratia beatitudinis confirmati sunt, ut ad malum flecti nec velint, nec possint, libero arbitrio non carent. Unde Augustinus in Lib. XXII. de Civitate Dei, cap. xxx. ait: „ Sicut prima immortalitas fuit, quam peccando Adam perdidit, posse non mori; ita primum liberum arbitrium posse non peccare, novissimum non posse peccare. Idem in Enchirid. cap. cv. Sic oportebat prius hominem fieri ut bene velle posset, & male; postea vero sic erit ut male velle non possit; nec ideo carebit libero arbitrio. Multo quippe liberius erit arbitrium quod omnino non poterit servare peccato: neque aut voluntas non est, aut libera dicenda non est, quæ sic beati esse volumus ut esse miseri non solum nolumus, sed nequaquam velle prorsus possimus. Sicut ergo anima nostra etiam nunc habet nolle infelicitatem, ita nolle iniquitatem semper habitura est. Sed ordo servandus fuit, quo Deus voluit ostendere, quam bonum sit animal rationale quod etiam peccare possit, quamvis sit melius quod peccare non possit. „ Ecce his verbis evidenter astruitur, quod post beatitudinis confirmationem erit in homine liberum arbitrium, quo peccare non poterit; & nunc in Angelis est, & in Sanctis, qui cum Domino sunt; & tanto utique liberius, quanto à peccato immunius, & ad bonum pronius. Quo enim quisque ab illa servitute peccati, de qua scriptum est, Joan. cap. vii. 34. „ Qui facit peccatum, servus est peccati: „ longius absistit, tanto in eligendo bonum liberius habet iudicium. Unde si diligenter inspicjatur, liberum videbitur dici arbitrium, quia sine coactione, & necessitate valet appetere, vel eligere quod ex ratione decreverit.

De libertatis arbitrii differentia secundum diversa tempora.

EX prædictis perspicuum fit quod major fuit libertas arbitrii prima quam secunda, & tertia multo major quam secunda, vel prima. Prima enim libertas arbitrii fuit in qua poterat peccare, & non peccare; ultima vero erit in qua poterit non peccare, & non poterit peccare; media vero est in qua potest peccare, & non potest (4) non peccare, ante reparationem etiam mortaliter, post reparationem vero saltem venialiter.

De quatuor statibus liberi arbitrii in homine.

ET possunt notari in homine quatuor status liberi arbitrii. Ante peccatum enim ad bonum nil impeditur, ad malum nil impellebat: non habuit infirmitatem ad malum, & habuit adiutorium ad bonum. Tunc sine errore ratio judicare, & voluntas sine difficultate bonum appetere poterat. Post peccatum vero ante reparationem gratiæ premitur à concupiscentia, & vincitur; & habet infirmitatem in malo, sed non habet gratiam in bono: & ideo potest peccare, & non potest non peccare, etiam damnabiliter. Post reparationem vero, ante confirmationem, premitur à concupiscentia, sed non vincitur; & habet quidem infirmitatem in malo, sed gratiam in bono, ut possit peccare propter libertatem, & infirmitatem, & possit non peccare ad mortem, propter libertatem, & gratiam adjuvantem. Nondum tamen habet posse omnino non peccare, vel non posse peccare, propter infirmitatem nondum perfecte absorptam, & propter gratiam nondum plene consummatam. Post confirmationem vero infirmitate penitus consumpta, & gratia consummata, nec vinci poterit, nec premi; & tunc habebit non posse peccare.

In II. Sent. Tom. II. Hh Dd (2) Al. idest quod est. (3) Al. hominibus. (4) In ediculis omittitur non. Ex Edit. P. Nicolai. (a) Sive potius epist. cxxvi. ad Damasum sub finem.